In N. J. Chr.

De
Studio Theologico
Deo Hominibusque Infesto,

Disputationem Christianam

Consent. Max. Vener. Ord. Theol. Lundens.

Proponunt

PRÆSES

LAURENTIUS P. WÅHLIN,

Philos. Mag., S. S. Theol. Doct., Pastor & Præp. Eccl. Norrwiddinge & Dagstorp,
Membr. Societ. Evangel., Societ. Biblicæ Holm. et Societ. Biblicæ Lundensis,

&

Respondens
Pro exercitio

OTTO CHR. WÅHLIN,

Scanus,

In Acad. Carolina die XXI Decembris MDCCCXXXI.

Londini Gothorum, MDCCCXXXI,
Ex officina Berlingiana.

virtute, sed & numero superioribus, exsistentiam Dei probari 46). Si qui fuerint ab altera parte, facile, ut perfertur, a multitudine & præstantia de Deo concordantium superantur. Nihil enim *Diagoras* & *Protagoras* ad *Socratem*, nihil *Spinoza* ad *Lockium*, nihil *Edelman* ad *Leibnizium*. Una vox omnium, in computatione gentium, in qua Kamtschadalis & Irokesis locus æque datur atque Romanis & Germanis, si ponderis quid habet, multo majoris multitudo & præstantia suffragantium inter eruditos momenti esse, ut videtur, debet.

Contra hoc argumentum ita disputatur. Non ideo veritatem objectivam obtineri, quod veritas subjectiva in multis deprehenditur. Errores æque atque veritates posse eruditis placere. Illis nihil accedere fidei, his nihil roboris, multorum testimoniis. Sapientissimos posse falli & cum his totam consentientium familiam decipi. Auctoritatem nullam valere nisi ipsius veritatis, eamque nobilitari non multorum applausu, sed sua ipsius vi.

Alia probandi ratio, quæ *a tuto* nominatur, hujus est sententiæ. Tutius habetur, Deo locum dare, quia aliter explicari ortus & vicissitudines rerum non possunt. Rebus humanis melius consultum est, cum Deum esse creditur, quam cum negatur. Ut quisque a parte Dei stat, ita habebit, de quo sibi gratuletur.

Ita argumentantibus recte respondetur, quidquid de Deo hoc modo adseritur non efficere argumentum, quo exsistentia ejus evincitur, sed portam recludere, qua, necessitate urgente, ad Dei potentiam & bonitatem perfugere licet.

Argumenti, quo *ex absurdo* probare Deum esse nonnulli conati sunt, tria genera sunt. Primum genus homines spectat, quorum præ ceteris animantibus præstantia, si Deus non est, nullius esset frugis, nullius cum meta, cujus contingendæ caussa nati essent, nexus. Quæ vero ad hoc genus pertinent, de iis jam antea actum est, cum de argumento anthropologico sermo est institutus. Secundum genus monet, quam difficulter omnia possent intelligi & explicari, si nihil Deo, cuncta vero fortuito eventui essent tribuenda. Institutio rerum naturalium & cursus Rectorem significare videntur sapientem. Cur auctorem mundi, similiter comparatum, pari jure non assequeremur? Tertium genus difficultates respicit & velut angustias, quibus premeretur ratio humana, vi sua exagitata ad quærendum Deum, si cogeretur confiteri, se frustra quærere, quia quod quæreret non posset inveniri.

---

46) Allgemeine Litteratur-Zeitung N:o 23. Anno 1788.

Instant adversarii, ita castigando. Primum genus quantum ab argumento sufficienti differat, ex supra allatis patet. Num id, quod convenit cogitare, ideo necesse exsistit? Hominibus, cur sint, fines ponere, idem est atque Deum ponere. Quæ argumentandi ratio, cum quod demonstrandum est opinione præoccupat, in vitium incurrit, quod petitionem vocant principii. Secundo loco urgetur: non quid cogitari possit, sed quid sit, quæritur. Etsi cogitari vix potest, omnia casu esse orta, ideo tamen veritas auctoris mundi non effecta est. Fuerunt tamen, qui omnia fortunæ adscriberent. Nam quid est tam absonum, cujus cogitandi exemplum in homine non inveniatur? Idea Dei non facit Deum, quamvis sit hæc idea rationi magis congrua, quam idea omnia a casu fortuito derivandi. Neque ex tertio demonstrandi genere aliud oriri objiciunt, quam probabilitatem, ortam ex necessitate Deum habendi, quo rationi in ejus quæstionibus satisfiat. Probabilis vero conjectura et spes est velut blandimentum, quo deliniri potest ratio, non demonstratio, ex qua sola tranquillitas nascitur, nec legitima pars Theologiæ naturalis, de qua sermo est.

Inter præsidia, quibus antehac custodita fuit fides in Deum, viribus rationis expugnata, non reticendum est illud, quod statutum est, non posse demonstrari, Deum non esse. Dicitur argumentum *ex opposito non probato.* Hac via qui incedunt ita ratiocinantur: Nullus est atheus inventus Theoreticus, qui potuerit argumentis firmis & stabilibus probare, Deum non esse. Ratio, cujus deficere vires dicuntur in demonstranda exsistentia Dei, multo minus Atheismo præbet arma ad vincendum idonea. Conatus est quidem Kantius, ope Antinomiarum sive Anthitesium, negatam Dei exsistentiam argumentis fulcire, sed irrita fuit periclitatio, nam probatio vitiis laborat, utpote sibi contraria, manca in parte demonstrationis, & nihil efficiens nisi incertitudinem.

Ad hoc Critici: Etsi concedendum est, firmis non posse argumentis contendi, Deum non esse, exinde tamen nihil exoritur roboris fidei in Deum. Neutram partem esse suo probandi officio æquam, id tantum certum est. In Deum credenti si liceat dicere, ejus rationi convenire ideam Dei, quare non itidem licitum esset Atheo fateri, eandem ideam illius rationi non esse congruam. Sit, ut Theistæ non opus est ad credendum aliis argumentis, quam quæ præstari possunt. Quid? Nonne Atheo licebit argumenta sibi sufficientia postulare, nihilque in iis, quæ ad Deum pertinent, ratum habere, nisi quod sensibus fuerit expertus. Munus probandi perficere cum Theologo Naturali non ex sententia detur, cur vitio Atheo verteretur, ei argumenta deesse. An jure efflagitatur, multo Atheum valere magis ad negandam, quam Theistam ad defendendam exsistentiam Dei? Ceterum cum ope Antinomiarum demonstratæ sunt aliæ sententiæ (ex. gr. de æternitate mundi, de libertate menti humanæ deneganda), quæ huic de Deo quæstioni, ac si eædem essent, conveniunt,

quid impedit, quominus antinomiis, in re Dei, sit quoque fides habenda? Sic molitus est Kantius, sic, si viveret, adhuc moliretur occasum doctrinæ, qua non aliam majori studio sibi vindicat mens bene informata ut suam.

Argumentum ad probandam exsistentiam Dei, quod *ex comparatione* provenit, hujus est intentionis. Singulæ partes mundi oriri videntur. Quocunque nos convertimus, videmus res, quæ ex principiis nascuntur, res, quæ ex caussis profectæ sunt. Hæc communis rerum ratio ducit nos ad quærendam originem universitatis rerum, eamque probabilem habere. Hanc vero quærentibus nobis exsistit summus & ultimus auctor mundi 47).

Huic demonstrandi rationi refutationem vix impendit Criticismus. Nec opus fuit. Non enim aliud, quam quod credibile sit, urget nec ultra limites conjecturæ prodit.

Cursum, quem promisi, absolvi. Criticismus quomodo iis, quæ ad proponendum Deum a scriptoribus Theologiæ naturalis allata sunt, obluctetur, in promtu est. Eo ipso probatum quoque est, philosophiam Kantii fulcra demoliri felicissimæ persuasionis beatæ vitæ & tranquillæ mortis, quæ a fide in Deum peti possunt. Quid est hoc aliud quam inimicum agere humani generis? Hanc vero viam quærendi Dei, quam obscuram & imperviam Kantius pronuntiat, cum Deus ipse in verbo suo revelato commendat, luculenter patet, nos *Kantio* nomen & consilia Deo inimica jure tribuere. Mitius libenter vellem ferre judicium, sed divino verbo qui adversatur, nonne reus habendus est criminis Deo ipsi resistendi? Cui integro animo legenti hæc, quæ citabo, dicta divina, non sponte occurrit, Deum urgere, quod Kantius prohibet, quærendum esse illum in natura, in qua contemplanda, aperta est exsistentia Dei rationi, ut dicunt, Theoreticæ? *Cæli enumerant gloriam Dei, & opus manuum ejus annuntiat firmamentum* 48). *Magnus es valde, gloriam & honorem induisti. Qui operit se luce, quasi veste; extendit cælos, sicut cortinam, sequ.* 49). *Tollite in altum oculos vestros, & videte, quis creavit hæc* 50)? *Ipse enim pulchritudinis auctor princeps creavit ea* 51). *Ex magnitudine enim pulchritudinis creaturarum convenienter auctor princeps earum perspicitur* 52). *Si enim tantum potuerunt scire, ut potuerint conjicere seculum, horum Dominum quomodo non invenerunt citius* 53)?

---

47) Plura, quæ quæstioni de exsistentia Dei probanda ad finem perducendæ inserviunt, leguntur apud *Werdermann*, Darstellung des Zustandes der heutigen Philosophie p. 161 seq.

48) Ps. 19: 2. 49) Ps. 104: 1: 2. 50) Es. 40: 26. 51) Sap. Sal. 13: 3.
52) Sap. Salom. 13: 5.

Inspicite volatilia cœli: nam non serunt, neque metunt, neque convehunt in horrea :tamen Pater vester cœlestis alit illa 54). *Quamquam non sine testimoniis Se ipsum reliquit, benefaciens, cœlitus nobis pluvias dans, & tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda nostra* 55). *Ut quœrant Dominum, si omnino palpent ipsum, & inveniant, & equidem non procul ab unoquoque nostrum exsistentem* 56). *Propterea quod notum Dei manifestum est in ipsis: Deus enim ipsis manifestavit: nam invisibilia Ipsius a creatione mundi operibus intellecta perspiciuntur, æternaque ipsius potentia & Deitas* 57).

§. IV.

Superest, ut altera pars Theologiæ Naturalis, quæ immortalitatem animi pertractat, quam a Criticis infestetur, videamus. Antea vero quam in medium agmen disputantium se immittat oratio, definire haud alienum sit, quid immortalitate intelligatur. Animum non posse interire, eum vero, dissoluto cum corpore nexu, mutataque exsistendi ratione, conscium sui retinere vim cogitandi, appetendi & agendi, quæ, quamdiu corpori inerat, sua erat, ea demum sunt illa momenta, quæ constituunt immortalitatem animi, quæque erunt probanda ut necessaria, si non absolute, saltem hypothetice, si illa immortalitas existimabitur probata. Hoc in campo, lubrico quidem illo & tricis involuto, quomodo Philosophi ante Kantium excurrerint, explanare hujus est instituti. Bene res cessisse videbitur, ut cujusque studium prope accessit ad persuasionem, qua refectus Apostolus dixit: *Sicut portavimus imaginem terreni, portabimus etiam imaginem supra cœlestis. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem & mortale hoc induere immortalitatem* 58).

Deum, ingenuitate disputandi, integritate morum & constantia mortis, testificanti *Socrati* obversata jam est spes immortalitatis. Multum vero abfuit, quin primordiis illis hujus disciplinæ aliquid insit, quod ad formam scientiæ & demonstrationis referatur,

Cicero rem argumentis firmare voluit, eumque in finem simplicitatem & præstantiam animi, consensum gentium, & curam, qua futuris providet homo, testimonia immortalitatis habuit.

---

53) Sap. Sal. 13: 9. 54) Matth. 6: 26. 55) Act. apost. 14: 17.
56) Act. apost. 17: 27. 57) Rom. 1: 19, 20. 58) 1 Cor. 15: 49, 53.

Alii fuerunt, qui ideam Dei cum idea immortalitatis ita conjungerent, ut alteram esse sine altera posse negarent. Si enim homini post mortem esset actorum in vita & factorum nulla conscientia, nullus fructus neque bonus, neque malus; sequeretur, nullum esse Deum. Si vero esset, neque esset bonus, neque justus, neque sanctus, neque sapiens. At Deum profiteri, divinis destitutum proprietatibus, quomodo convenit?

Alia ratio hoc de argumento disputantium, eorum est, qui ex affectionibus animi ea hauriunt, quæ de immortalitate esse rata cupiunt. In animo, dicunt, sunt facultates perpetuitatem præsagientes & naturam non interituram. Habet enim homo desideria ejus generis nobilia & cœlestia, quibus his in terris parum, sed in altera vita eo perfectius satisfieri possit. Cupido veri videndi his in terris satiari non potest. Est quoque animi proprium, posse perfectione accrescere & ad altiora sine termino surgere, quæ ejus indoles vana esset, nulla exsistente vita futura. In rebus terrestribus si esset positum summum bonum, qui fieret, ut homo dotibus, quibus cœlestibus frui potest, esset instructus? Multum hoc in negotio momenti quoque habet diversitas animi a corpore, a qua sequi videtur, cum hoc sit mortale, illum fore immortalem. Quibus addi potest, naturam hominis duraturam ex eo perlucere, quod interitum suum aspernatur & reformidat.

Nonnullis natura rerum visibilis ita videtur comparata, ut doctrinæ de immortalitate animi suffragetur. Omnium rerum elementa cum semper maneant eadem, nec usquam locum habeat absolutus interitus; jure contenditur, animum conditioni communi esse subjectum nec umquam interire. Quid? animus si vel esset corporeus, &, quod dicit Aristoteles, *εντελέχεια*, nihil obstaret, quo minus cum aliis monadibus duraret.

Deinde teste utuntur analogia naturæ universæ, quæ indicat progressum continuum, ad utilitatem intelligentium spectantem entium. Animus enim si interiret, quomodo naturæ talis, tamque in meliora tendens conformatio, quæ animum exposcere videtur immortalitati aptum, posset explicari?

Ulteriori loco immensitas visibilis mundi argumento est, animum esse immortalem: nam occurrunt plura scrutanda & penitus cognoscenda, quam quibus vita sufficiat. Quam angusti & circumscripti termini Deo cognoscendo & intelligendo essent positi, si nullus ejus contemplandi locus ultra limites hujus vitæ esset? Perfectionum Dei ut nullus est finis, sic nec finis earum cognoscendarum esse ullus potest. Quemadmodum illæ per æternitates splendorem expandunt suum, ita et sequi, admirationem hominis supra brevitatem vitæ exspatiantem, est necesse.

In demonstranda perpetuitate animi est, quæ ita se habet, ratiocinatio. Mens si non est immortalis, ex eo fit, quod Deus neque potest neque vult eam conservare perpetuam. At Deus potest, quia est omnipotens, Deus vult, quia est bonus: igitur dubitari non potest, quin sit mens immortalis. Nulla si esset immortalitas, locus quoque esset dubitandi de providentia divina.

Aliud huic sententiæ præsidium exoriri ex consentiente uno omnium ore, sunt, qui credant. Ut quisque est sanctissimus & probitati maxime dicatus, ita promtissimus est ad ea amplectenda, quæ de immortalitate animi proponuntur. Sed res, de qua inter omnes convenit, addubitari salva non potest mente.

Ad hoc consilium accedunt alii disputantium hoc præ se ferentes argumentum, quod injuncta est homini officii colendi necessitas. Cujus vero officii partes cum sæpe hac in vita non fuerint impletæ, opus est altera vita, in qua, quod hic omissum est, potest compensari.

Audiendi sunt & illi immortalitatis animi Patroni, qui eo majori fiducia hoc adseverant decretum, quo certius constat, quidquid in hac re occurrit dubii & contrarii posse facile refelli & everti.

Nec prætereundum est, quod dicunt quidam interque eos *Jacobus*, philosophus multi nominis, virtutem & immortalitatem adeo cohærere, ut illa sine hac esse non possit.

Claudius, ex claris philosophis unus, rem ita absolvit. Eorum est, ait, qui animum esse immortalem negant, hanc eorum sententiam argumentis stabilire. Quod vero cum factum non sit, credere licet, id fieri non potuisse.

Hæc sunt varia eruditorum de immortalitate animi præcepta. His velut facibus illustrata fuit via, qua mens humana erecta ausa est sperando auspicari futura. His successibus eo ventum est, ut ratio sibi visa sit posse arte scientiæ demonstrare, Deum esse substantiam realem, & immortalitatem rem certo futuram. Multa solatii, multa spei & fortitudinis animi specimina huic doctrinæ accepta referenda sunt. Sed quid est homini umquam datum, quod in abusum verti non potuerit. Sic & fuerunt, qui inflati hac dogmatismi sapientia, scripturam sacram despicerent. Quod vitium cum fuerit hominum, non scientiæ, nihil credo impedire, quominus ambitum & usum Theologiæ naturalis moderatum & sapientem magni faciamus. Nec ideo minus sunt culpandi Critici, qui, quidquid Theologiæ Naturali desit cum implere voluerint, majora mala intulerunt, dubitationem pro scientia, turbulentam mentem pro tranquilla.

Hac vero in re primum quæ pericula, deinde quæ naufragia fuerint Criticismi, ut innotescat, hujus est instituti efficere.

§. V.

Igitur quæ in paragrapho antecedenti proposita sunt immortalitatem demonstrandi genera, ea, per singula eundo, ore & ductu Criticismi investigabimus.

Non opus fuit accuratiori examine, ut ostenderetur, quam fuerint ea, quæ veteres ad spem immortalitatis capessendam aucupati sunt, levia & minoris ponderis. Sua ipsorum imbecillitate, non ingenio Kantii prolapsa jam diu conciderunt.

Animum esse simplicem, præeunte Cicerone dicunt, at quibus argumentis? Hæc sententia in utramque partem disputari potest et ponderata est. Materialistæ ubi defuere? At ponamus, animum esse simplicem, quo, quæso, jure dixeris, eum interire non posse. Deo, si quem admittimus, cur non esset potestas, ut creandi, ita & ad nihil redigendi. Ceterum, aliquid ex natura animi ducere argumenti, hac natura prorsus incognita, quid Criticismo potest magis esse contrarium? Ex præstantia animi multæ nascuntur caussæ optandi, ut sit mens immortalis, multæ et adnuendi huic sententiæ ut verisimili, sed nullæ profitendi, rem esse demonstratam & indubiam. Multum enim interest inter ea, quæ suadent, ut opinatis credamus, & ea, quæ jubent nos necessaria & realia non diffiteri.

De nexu ideæ Dei & immortalitatis hæc tenenda sunt. Velle quid ex idea Dei eruere, cum ejus exsistentia ex ratione neque probata est, neque probari potest, quid est aliud quam petitio principii. Præclare convenit optanti immortalitatem, ponere Deum. Quid vero? An ab eo, quod congruum est cogitare, fas est concludendo transire ad id, quod re convenit. Cogitanti quam demum bene conveniunt ideæ Dei & immortalitatis, nihil tamen ad realitatem objectivam convenit hæc idearum convenientia. Ceterum de Deo, quid velit, quid & quomodo sit acturus, certi quid statuere, non decet rationem, limitibus experientiæ circumscriptam. Deum cum vel accuratissime ad ingenium humanum effinximus, quid? fierine potest, ut ipse ab hac humana imagine quam longissime abhorreat.

De argumento ex affectionibus animi desumto jam dictum est. E principiis ortum rationis potest illud argumentum, ut perferunt, spem excitare & fidem, absolutam

vero certitudinem non potest. Eo, ut de Deo aliquid certi sciret, quomodo Philosophus perveniret, cujus studium in iis tantum, quæ sensibus experiri licet, versatur?

Ex contemplatione mundi si quid exoritur, quod valet ad explicandas leges ejus partis mundi, quam nos cognoscimus, multum abest, quin sufficiat hæc cognitio ad omnia explicanda, præsertim ea, quæ fines experientiæ transgrediuntur.

Providentiam divinam quid est, quod in medium proferant? De Deo cum nihil innotescit, quomodo de cura, quam de rebus creatis gerere dicitur, aliquid disserendum? Doctrina, ipsa dubiis obnoxia, doctrinæ qui posset alteri esse fundamento?

Deum velle, animum perseverare, unde compertum est? Cadit hæc de Deo opinio in rationem experientiæ? Minime. Cave igitur, ne tibi aliquid tribuas scientiæ, quod tuum non est.

Vox populi, vox Dei dicitur proverbio. At errores celebrantur proverbiis æque atque veritates. Philosophus non capitur adagiis sicut plebs, sed amat testimonia, eaque gravia & indubia.

Quæ de immortalitate animi ex necessitate officii disputantur, ut rationis practicæ propria, non huic sunt subjecta examini.

Præclara sunt illa Claudii. Sed ubi sunt illi adversarii? Dubitantes audivimus, sed adhuc neminem, qui probare voluit, id non esse, quod ut sit, optare omnibus jucundissimum est. De omnibus, quæ ad hæc dubia solvenda afferri solent, dici potest, inesse iis similitudinem veri, inesse majorem minoremve vim testimonii, sed inesse luculentam demonstrationem, dici non potest.

Ex his videre licet, quomodo in eo elaboraverint Critici, ut fiduciam Dogmaticorum subverterent. Destruere voluerunt firmamenta Theologiæ Naturalis, non reputantes, quantum solatii & tranquillitatis hominibus eo ipso auferrent. Quod exstruere conati sunt, damnum compensandi caussa, an proposito respondeat, operæ pretium videtur examinare. Exinde patebit, utrum Dogmatismo an Criticismo sit in hoc negotio palma tribuenda.

§. VI.

Argumentum, quo usus est Kantius, cum de exsistentia Dei & immorta-

litate animi quid statueret, dicitur Morale 59). Forma hujus argumenti syllogistica hæc est: Si exsistentia auctoris mundi moralis unica est conditio, sub qua felicitas cum virtute perfecte conjungi potest, oportet esse Deum. Jam vero primum verum est, igitur & posterius. Quod si minus placet, hoc modo exprimi quoque potest. Quidquid ex legibus menti humanæ propositis tamquam conditionem, ad obtinendum id, quod desideratur, necessarium velle debes, id exsistat necesse est. Jam autem Deum, ut conditionem, sine qua summum bonum assequi non possumus, velle debemus. Hinc sequitur, esse Deum. Virtus & felicitas nisi conjunctæ fuerint, summum bonum obtineri nequit. At conjungi non possunt absque Deo & immortalitate. Igitur Deus & immortalitas ponendæ sunt, ut conditiones, quarum ope hæc conjunctio evenire potest. Hæc vero positio, sermone Kantiano, dicitur Postulatum necessarium rationis practicæ. Fatendum est, hominem, invitante voce, quæ intus personat, impulsu rationis practicæ facile moveri ejusque consilia libenter excipere. Sed vereor, ne irrita sit spes exspectantium, se ibi propugnacula, ubi tuti sint, inventuros. Promittit arx ista, quæ Kantiana hypothesi est superstructa, perfugium profugæ rationi Theoreticæ. Videamus, quomodo promissa exsolvat.

---

59) Variis appellatur nominibus, *Ethonomicum*, *Practicum*, *Ethico-Theologicum*. Dividitur a *H. A. Schott* (p. 4) in theoreticum & practicum, a *Chr. Fr. de Ammon* (p. 106) in forense, ethonomicum & religiosum. — His absolvitur decretis: "Das höchste Gut des Menschen besteht aus Zwei Theilen; aus der für ihn mögligsten Sittlichkeit und Glückseligkeit. Jene fordere sein Geist, diese seine Sinnlichkeit. Nun kann aber der Mensch bloss seine Sittlichkeit realisiren, und in dem er sie durch anhaltende Tugend an seiner Person wirklich macht, muss er oft seine Glückseligkeit aufopfern. Da nun der Wunsch glücklich zu werden, keineswegs unvernunftig oder unnatürlich ist, so schliesst er mit Recht, dass entweder ein höchstes Wesen sey, welches den Lauf der Dinge (— die Natur, da diese den sittlichen Gesetzen nicht gehorcht —) so lenken werde, dass Tugend und glückseligkeit an seiner Person ausgeglichen werden; oder das die Stimme seines Gewissens ungerecht und unvernünftig sey. Nun ist aber das lezte Urtheil moralisch unmöglich, also ist er gedrungen, das erste für war zu halten! *Bretschneiders* Dogmatik p. 373. *Kant* Kritik der reinen Vernunft p. 620, p. 848 sq. der practischen Vernunft p. 265 sq. Kritik der Urtheilskraft p. 449. *Jacob* über den Moralischen Beweis für Gottes Daseyn. Libau 1791. *Mellins* encyklopedi. Wörterbuch der Kritischen Philosophie Th. IV. 8. p. 369 sq. *Ekermans* theol. Beiträge 3 B. 1 St. 5 B. 2 St. *Henkes* neu Magazin 2 B. S. 277 sq. *Ammon* progr. argumenti ethonomici, quo numen esse sumitur, partic. I Erl. 1806. 4. *J. F. Flatt*, Briefe über den moralischen Erkenntnissgrund der Relig. Tüb. 1793. 8. *Fogel* in Gablers neuest. theol. Journal 2 B. 1, 2, St. Primarium bonum est, secundum Kantianam loquendi formulam, honestas. Consummatum bonum est, honestas & felicitas. Summum bonum est Deus, sive ens, in quo primarium & consummatum bonum absolute & perfecte reperitur. *Brettschneider* l. c. p. 373. Præclare hanc rem tractavit *Fremling*, hujus academiæ Professor celeberrimus, quo diu usus sum doctore litterarum & interprete, & a cujus scriptis multa etiam in hac disputatione sum mutuatus.

Propositio minor hujus argumenti moralis in universum non valet. Et hæc caussa. Fieri enim potest, ut virtus & felicitas sine auctore mundi morali, sic jubente cursu rerum naturali, connectantur. Nihil saltem objective veri hac in re ratio humana statuere potest 60). Ejusmodi ratio, mirum videtur, inveniri potest, quæ facile percipit, non opus esse auctore morali a mundo diverso, ut societur virtus cum felicitate, eam vero consociationem ex ordine naturæ perfici posse 61). In hoc discrimine ratio hæret dubia in capiendo consilio. Duplici sese offerente aditu ad summum bonum, altero duce auctore mundi morali, altero suasore ordine rerum naturali, uter eligendus? Refert morum, priorem eligi. Ergo præfertur auctor mundi. Inde nascitur idea & scientia Dei. Quam vero longe abest optata res a probata, quæsita ab inventa? Nam si vel maxime convenit rationi, habere Deum, auctorem summi boni, quomodo inde sequeretur, Deum esse. Quo enim jure dixeris, felicitatem esse sortem hominis necessariam? Quod jus si sibi tribuerit ratio practica, ejusdem arrogantiæ rea erit, cujus Kantius accusat rationem Theoreticam. Melius igitur decrevisse Kantius videtur, si argumentum suum morale his verbis construxisset. Virtuti operam dare officium est. Felicitas optatur. Sine Deo nemo potest felix esse. Igitur optandum est, ut sit Deus. Hæc est unica & propria vis argumenti Kantiani, tam jactati. Latius id patere, nemo jure dicturus est. Præparat illud argumentum viam ad inveniendum Deum, ipsum vero Deum neutiquam nanciscitur. Illud enim, quod dicitur, necessarium esse, hominem posse fieri felicem, tum primum verum est, si Deus, cujus exsisteutia hoc argumento probanda est, re vera exsistit,

Dicunt, id exsistere, quod ex legibus cogitandi necessario decet velle ut conditionem finis cujusdam, quem assequi oportet. Sed hoc eo tantum valet, si is, qui finem proposuit, id injunxerit, quod fieri potest. Ergo huic syllogismo magis convenit hæc forma. Si nullus esset Deus, lex moralis non posset observari, idque eam ob caussam, quia felicitas par virtuti non posset obtineri. Jam vero lex moralis observari potest: Igitur Deus est. Quærenti cuidam, unde sit notum, legi morali posse satisfieri, respondetur, facile id ex eo patere, quod ejusmodi observantia sit officii lege imperata.

In Kantiano argumento hæc quoque duo momenta sunt observanda: primum, non posse concludi ab eo quod volumus, ad id, quod realiter est, secundum,

---

60) Objektiv könne die Menschlische Vernunft nicht entscheiden, ob man sich die zu bewirkende Harmonie zwischen Tugend und Glückseligkeit nach allgemeinen Naturgesetzen, ohne einen der Natur vorstehenden weisen Urheber, oder nur unter dessen Voraussetzung vorstellen solle. *Kant* Kritik der prakt. Vern. p. 262.

61) *Kiesevetter:* Ueber Erkenntniss Gottes, Deutsch. Monatschrift 1792 Jun. p. 147.

puritati rationis practicæ esse contraria, quæ de felicitate, socia virtutis, proponit Kantius. Si enim ratio practica dictaverit agenda, ea vero legis non felicitatis caussa sint facienda, non opus est Deo. Talis quidem ratiocinatio principiis Kantianis magis conveniret. Igitur sceptico morali non deesse possunt objectiones magis quam Theoretico. Cujus rei exempla afferre nonnulla, non erit alienum.

Quo jure Kantius dicit, rationem Theoreticam, cum experientiæ fines transgreditur, obnoxiam esse erroribus, eodem dici quoque potest jure, ea, quæ in re morali disputantur, experientiæ non convenientia, esse erroris plena. Mirum est, Kantium, cum res moralis ita exigit, admittere excursum trans limites experientiæ, eundem vero prohibere, cum in explicandis rerum caussis versatur. Lusus rationis, quo nomine ludibrio habetur quidquid conata fuerit ratio Theoretica, culpans Kantius, delirare ipse in rebus, supra sensus positis, non dubitat 62). De summo bono disserit, quod assequi id non licet, nos vero, ut fieri potest proxime, accedere eo oportere. Virtutis mentionem facit, quæ non convenit nisi naturæ infinitæ. Felicitatem appetendam proponit, de qua, quæ sit, non nisi ab ente infinito definiri, et in qua quærenda nihil nisi legem respicere decet. Virtutem & felicitatem vult conjungi, etsi, quemadmodum ab ipso describuntur, sibi invicem contrariæ sunt. Lex moralis, interprete Kantio, absurda imperat, injungens ea, quæ homini non datum est absolvere. Ne in æternitate quidem locum relinquit sanctitati, etsi idea sanctitatis fundat ideam immortalitatis. Infinita progressione ad sanctitatem appropinquare, id solum, nec aliquid ultra homini concedit. Sed quomodo percipi potest, hanc progressionem valere ad immortalitatem? Ita explicatur a Kantio, Deum, qui in cogitando nec tempori nec spatio subjectus est, sibi repræsentare imperfectam progressionem ad sanctitatem, tamquam esset perfecta sanctitas. Ecce vero rursus in vitium Dogmatismi quam incidat Kantius, disputationem transferens in rationem Dei sibi aliquid repræsentandi

Infirmitas argumenti moralis ex eo quoque probatur, quod non opus est immortalitate, ut conjungatur felicitas cum virtute. Talis enim mundus cogitatione effingi postest, in quo omnia regulis legis moralis congruant. Eo in mundo virtus gradum sanctitatis assequeretur. Quis enim viam virtutis desereret, omnibus, quæ optari possent, bonis ad remunerandam virtutem paratis, nec umquam deficientibus.

---

62) Cujus rei, ut multa alia, quæ in scriptis Kantii passim exstant, documenta præteream, testimonio sint quæ leguntur, Metaphysik der Sitten p. 26. Critik d. r. V. p. 124, Metaphys. Anfangsgr. p. 9. Tugendlehre p. 102—109. Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft. Vorred p. 3.

Quod si immortalitas admittitur, ut fiat conjunctio virtutis & felicitatis, non inde sequitur immortalitas singulorum, quæ præcipue curæ est & de qua quæstio est. Progressio ad sanctitatem fieri potest, humano genere hoc in mundo non intereunte sed in infinitum continuato. Quidquid factum est boni a quibusdam potest a Deo ita æstimari, ut ab omnibus factum. Illa vero immortalitas, quæ generi non singulis tribuitur, eo est magis præferenda, quod obstat eadem, quominus vagetur mens extra mundum visibilem, quæ res est valde periculosa 63). Theologiam quo loco habeat Kantius vel maxime ex eo elucet, quod dicit, præferendam esse dubitationem omni certæ persuasioni de Deo & immortalitate, & ex omni, quæ demum sit, hypothesi, illam, quæ Deum amplectitur, esse postponendam. Caussam tam perversæ sententiæ hanc reddit. Quo enim magis perspicua sunt homini quæ de Deo & immortalitate cognoscit, eo majorem vim habet hæc cognitio in facta hominis, ut plurima oriantur ex metu, pauca a spe, nulla ex officio 63). E re igitur esse homini, legi dedito, putat, ut semper meditetur possibilem interitum. Sed quamquam ex necessitate quadam morali Deum profitetur Kantius, alio tamen loco sibi minus constat, statuens non opus esse Deo, ut ad summum bonum accedatur, quippe quod legibus naturæ fieri idem potest. Alia diversitas in disputando hæc est, cum dicit Kantius, bonum virum, si sibi consentiat, in regulis suis agendi non posse locum dare doctrinæ de Deo & immortalitate. Quid vero de Philosopho est sentiendum, qui hæc et alia ejusdem generis in medium profert, Deo indigna, homini quam maxime noxia. Immo statuere audet, alio Deo, quam eo, qui hunc mundum creavit, opus esse, scilicet tali Deo, qui alium mundum Legi morali Kantianæ convenientem crearet. Harum vero ineptiarum hæc velut est summa, omnia, quæ de Deo & immortalitate sermonibus philosophorum tractantur, cogitationis esse propria, nec extra cogitationem esse ullius momenti 65). Quis miretur, eam philosophiam a rege de re sacra optime merito esse prohibitam 66)? Quis dubitet, quin sit Deo & hominibus quam maxime infesta?

Jam vero satis de Kantio. Superest, ut ostendatur, Theologia naturalis quid perpessa sit mali ab iis post Kantium, qui celebritate ingenii aliis præstiterunt, novis inventis clari.

---

63) Prolegomena zu einer jeden Künftigen Metaphysik, die als Wissenschaft wird auftreten Können p. 204. Zerstreute Aufsätze p. 116 sequ.

64) Critik d. pr. Vernunft p. 264 sequ.

65) Critik d. pr. Vernunft p. 124.

66) Notum est omnibus decretum illud Regis Boruss. datum d. l. oct: 1794, in quo Kantius ob scripta & prælectiones vituperatus est & ad meliora consilia provocatus.